



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXVII. Ne quis sigillum suum apponat literis quarum confectioni non interfuit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

XXVII.

ANNO  
CHRISTI  
1137.

Quanto scripturarum, quæ sigillo authentico muniuntur, est vsus magis necessarius in partibus Angliæ, vbi publici notarii non existunt, tanto diligentius cauendum est ne per aliquorum insolentiam possint pertrahi ad abusum. Conficiuntur enim, vt audiuius, literæ, ac signantur non tantum a minoribus clericis, verum etiam a prælatis, in quibus manifeste cauetur contraxisse aliquem, contractui vel negotio adfuisse, vel extitisse aliquem ad iudicium euocatum, seu sibi literas citatorias præsentatas, qui tamen nunquam præsens fuerat vel inuentus, imo forsitan in alia prouincia vel diocesi tunc degebat. Ceterum, cum scripturæ huiusmodi falsitatis vitium contineant manifeste, fieri talia vel similia districtius inhibentes, prouida deliberatione sancimus, quod si fuerint in his deliquisse conuicti, & qui talibus literis, maxime in alterius præiudicium, præsumperint ac perseuerauerint, vt scienter pœna falsariis & instrumentis falsis vtentibus debita puniantur.

XXVIII.

Quoniam tabellionum vsus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur, statuimus vt sigillum habeant non solum archiepiscopi & episcopi, sed etiam eorum officiales. Item abbates, priores, decani, archidiaconi, & eorum officiales, decani rurales, nec non ecclesiarum cathedralium capitula, & cetera quoque collegia & conuentus cum suis rectoribus, aut di-

*Concil. Tom. 28.*

Zz ij